

3572

litur. Repente hostes, scloppettariorum manu jugum collis infidentes, nostros, qui in triremi erant, cedunt: ii, ne misere inulti concidant, in terram desiliunt, manus strenue cum Turcis conferunt: reliquæ triremes certamen conspicatæ, ut suis jam in oppidum hostes impellentibus præsto sint, accurrunt. At veritus Sarra, ne ab ingruentibus oppidanis circumvenirentur, Syllam fratrem, atque Latinum Urfinum, Petiliani Comitem, qui a certamine revocent, mittit. Instante in tergum hoste, ægre licet, in colle conglobantur, imperatoriamque triremem, quæ navigium arena fere obrutum abstraxerat, a litore se subducentem intuiti, tutum receptui locum non fore ratî, consternati ac trepidi, cum neque Syllæ, neque Latini auctoritate sub signis contineri possent, alii alio dilapsi, plerique ad litus, ut nando salutî consulerent, profecti, licet præter spem, scaphas ac lembos a Venerio relictos invenissent, superveniente hoste, omnes fere contrucidantur; pauci, qui vexilla non deseruerant, navigiis excepti, incolumes evasere.

*Venetæ
ad Necca-
strum in-
surrecti.*

Inde militibus expositis, statim majoribus ad oppidum tendendum copiis opus esse, neque rei exitum, uti Martinengius jactaverat, ita in proclivi esse apparebat, Zacharia Salamonio situs, locorumque gnaro omnia uti evenerant, antea conjectante ac divinante fore, ut cunctos fere cœpti pœniteret. Attamen ne temere oppugnatio suscepta videretur, præfectorum ac militum virtuti res tota permittitur. Itaque duabus Gallorum scloppettariorum conflatis centuriis, quarum alteram Sylla, alteram Sancta Maria Gallus miles ducabat, ad pontem fluviolo imminentem illati; ille a dextera per angustos aditus acclive montis ascendit; Gallus ordinato agmine ad oppidum pergit: reliquæ copiæ subsequuntur. Primam aciem Sarra, mediam Carolus Friso Bergomas, postremam Latinus Urfinus regebant; triremes a litore protegentes, tormentis hostes oppido egressos verberabant. Sylla, semitis infestis, aditum subsidiis intercludere nititur. Gallus ab inferiori oppido sub scloppi ictum substitit. At Sarra, situ animadverso, prope mœnia agminibus constitutis, oppidanos exitu prohibet. Atqui Sylla magno undique ex circumjectis oris incolarum numero impetitus, cum natura loci fretus, suorum paucitate exundanti mul-

Venetarum in oppugnando Neocastrum cum Turcis prælia.